

calicem in manibus incipiat ad Vesperas mediocri voce *Calicem*, etc., sicut heri notatum est, et chorus suaviter dicat Vesperas, et finitis quinque psalmis et antiphona, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, incipiat antiphonam *Cum accepisset acetum*. Psal. *Magnificat*. Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sacerdos, abluat manus suas, et mediocri voce sine *Dominus vobiscum*, cantet *Oremus*, *Refecti vitalibus*, et *Per omnia sæcula sæculorum* dicto, in fine *Amen* tantum respondeatur et sic ad refectionem panis et aquæ pergant. Post prandium erigatur columna cerei, quo finito, Completorium cum silentio dicatur.

#### EXPULSIONE PUBLICE PŒNITENTIUM.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

(*Ex eodem ms. Bigot.*)

Ad Nonam hymnus, antiphona, capitulum, responsorium, versus de serie psalmodum..... Dehinc pareat se archiepiscopus, vel ille qui in loco ejus fuerit ad absolutionem faciendam cum cantore; et diaconus et subdiaconus sint revestiti **194**, in albis, et eant [*al.*, eatur] ante crucifixum, et ibi faciat Dominus archiepiscopus sermonem ad populum, quo finito, omnes sint prostrati. Cantor incipiat septem psalmos pœnitentiales *Domine, ne in furore*, etc. Quibus finitis dicat dominus archiepiscopus orationes ibi pertinentes. Ultima oratio *Absolutionem et remissionem*, etc. Dehinc pergat dominus archiepiscopus ad majus altare, et super illud benedicat cineres cum orationibus ibi pertinentibus. Quibus peractis, tribuantur a domino archiepiscopo et aliis sacerdotibus, et interim cantetur hæc antiphona *Immutemur habitu*. Alia ant. *Juxta* [*al.*, *Inter*] *vestibulum et altare*. Qua finita, pergat dominus archiepiscopus cum processione ad occidentales portas ecclesiæ ad expellendos pœnitentes, et cantor incipiat *Exaudi nos, Domine*. Psal. *Salvum me fac, Deus*, et reiteretur *Exaudi*. Quibus finitis, legatur hic sermo a diacono: *Vox sanguinis*, dehinc pœnitentes ejiciantur, cantando *Ne reminiscaris*. Tunc Dominus archiepiscopus cum eis loquatur, et claudantur [*al.*, claudat] fores ecclesiæ. Quo finito, redeat processio ad altare dextræ crucis in capella sancti

A Spiritus, cantore incipiente hoc responsorium: *Ecce Adam. ⁊ Cherubim* (40). *Videte*, et ibi cum prostratione, preces dicantur **195**, cum *Miserere mei Deus*, et orationibus ibi pertinentibus. Quo finito, duo de secunda sede litaniam incipiant, quam in choro cum processione finiant. Hoc expleto, incipitur missa, et celebretur more feriali.

#### RECONCILIATIO PŒNITENTIUM.

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

(*Ex eodem ms. Bigot*)

Finita Nona, dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius indutus alba et stola cum cappa rubea, vel sacerdos sine cappa cum diacono et subdiacono indutis albis et stola, cum cantore, processione ordinata, pergat ad occidentales portas ecclesiæ ad reconciliandos pœnitentes. Et domino archiepiscopo sedente juxta januas ecclesiæ, processione stante in navi ecclesiæ (41), legatur a diacono, more lectionis, hæc lectio: *Adest tempus, o venerabilis pontifex*. Finita lectione, dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius, se erigat et cantet antiphonam *Venite*, ter, et finiat. Cantor incipiat psalmum *Benedicam Dominum*, et dicatur totus psalmus, si necesse fuerit, et ad quemlibet versum repetatur antiphona *Venite, Venite*, et interim Dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius, pœnitentes in ecclesiam intromittat cum baculo, et reconciliati ardentis candelas ad altare deferant, alii exstinctas **196** vel nullas, et dominus archiepiscopus, vel ejus vicarius ponat manum suam super capita reconciliatorum, dans singulis pacis osculum, dicens: *Pax tecum*. His itaque peractis processio redeat cum silentio, et fiat sermo ad populum; quo finito, dominus archiepiscopus cum diacono et subdiacono dicat septem psalmos pœnitentiales cum prostratione, choro respondente. Quibus finitis, antiphona *Ne reminiscaris*; qua finita, dominus archiepiscopus pœnitentes prostratos absolvat, dicendo preces *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne nos. ⁊ Salvos fac. ⁊ Mitte eis auxilium. ⁊ Domine exaudi. Dominus vobiscum*. Oratio: *Præsta, quæsumus, Domine, his famulis tuis. Oratio: Absolutionem et remissionem.*

(40) Nunc dicitur ⁊ *Fecitque Dom.*

(41) Hæc lectio a nobis infra eruitur ex vetusto codice ms. bibl. cathed. eccles. Rotomag.

## SERMO ARCHIDIACONI

Ad archiepiscopum Rotomagensem, pro reconciliatione publice pœnitentium feria quinta in cœna Domini.

(*Ex ms. Pontificali 700 annorum biblioth. cathedr. Rotomagensis.*)

Adest tempus, o venerabilis pontifex, votivum mictis, congruum pœnitentibus, optabile tribulatis. Adsunt filii tui, Pater, quos Domino per Spiritum sanctum vera mater. Ecclesia in lætitia peperit, sed iterum suadente diabolo a sua integritate **197** corruptos, miseris factos et exsules novis quotidie doloribus ingemiscit. Pro his suppliciter orant quicumque felices in sinu suo remanserunt, quique divina se protegente clementia, in fide stabiles perstiterunt. Reminiscendum qualiter a patre clementissimo susceptus sit filius ille minor qui tandiu porcos pavit, qui paternæ hereditatis pretiosa stipendia infeliciter dissipavit. Patet pater, patet hodie manans de latere Salvatoris fons ille David in quo menstrua abluuntur, in quo peccatorum nigredine obsoleti, per humilem confessionem super nivem dealbantur. Ad hoc enim te Deus et Dominus

noster constituit Mediatorem ut susceptum, sicut ille, in humeris reportes ei peccatorem. Accepisti a Domino anulum discretionis et honoris, ut quæ signanda sunt signes, et quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt liges, quæ solvenda sunt solvas; atque credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem et pœnitentibus per ministerium reconciliationis januas regni cœlestis aperias. Moveat pietatem tuam fletus ipse miserorum. Maria flevit et suscepta est. In hac nocte negavit apostolus, et lacrymis suis baptizatus iterum restitutus est. Publicanus de teloneo apostolatam meruit. Latro de **198** cruce paradisi intravit. Plorat mater nostra Jerusalem orans pro filiis suis, et lacrymæ ejus in maxillis ejus (*Thren.* 1, 2). *Miserere, miserere, Pater, quia venit tempus miserendi ejus* (*Psal.* ci, 14).